Arténski Raphaëlis Casim: Quaestio physica de coelo.

✠

In Nomine Domini, Amen.

QVÆSTIO PHYSICA, DE COELO.

QVAM

SVB FELICISSIMIS AVSPICIIS, & PERMISSV,

Magnifici Perillustris & Adm: Reuerendi Domini,

D. M. ALBERTI PAPENKOWICZ VSTIEN:

S. TH: Doctoris & Professoris, Protonotarij Apostolici, Ecclesiæ Collegiatæ S. Floriani ad Cracouiam Præpositi, Contubernij Staringeliani Prouisoris, Studij Almæ Vniuersitatis Cracouiensis, Generalis, & Vigilantissimi

RECTORIS;

M. RAPHAEL CASIMIRVS ARTENSKI,

Ph: Doctor, Nouoduorscianus Dialecticæ Professor, Contub: Philosophorum Senior,

Pro Collegio Minori,

In Lectorio D. D. Theologorum, publicè ad disputandum,

PROPOSVIT.

Salutis Anno, qui exprimitur

PRIMO *Ænigmaticè, Latinorum more, qui per duodecimam literam, in Alphabeto, per tertiam, quartam, vndecimam, & vigesimam primam, numerant.*

SECVNDO *Cabalisticè, more Græcorum, exprimentium numeros literis, quarum ordo, numerorum ordini respondet. Ab vndecima, quæ viginti denotat, iam consequenter decades designantur, vsq; ad decimam nonam, quæ Centum significat: vigesima ducentos, vigesima prima trecentos &c. Taliter numeri literis expressi & computati, Annum indicant; siuè in primo versu, siuè in secundo, siuè in tertio ex his.*

Bis-Sex, Ter, Quater, Vndecim hac legit si,
Quâ Crux ter, Serie, est Dea alphabeti.
E re, tertia lux erat tum Aprilis.

CRACOVIÆ,
In OFFICINA FRANCISCI CEZARI, S. R. M. Typogr.

QVÆSTIO PHYSICA.

V. Cœlum ab Intelligentia motum; vt eius Instrumentum in Sublunaria influens; naturæ Definitionem, Materiam & Formam habens; sit in Materia à Sublunaribus diuersum, necne?

CONCLVSIO I.

Cœlum ab Intelligentia mouetur.

COROLLARIA.

1. *Intelligentia non est Forma Cœli.*
2. *Motus Cœli denominatur à Centro, & Specificatur per respectum ad illud.*
3. *Motus Cœli, per Potentiam volitiuam Intelligentiæ assistentis, causatur.*
4. *Motus circularis Cœlorum, est prior & perfectior omni motu recto.*
5. *Cœlum, & motum & quietem habens, non habet diffusam Intelligentiam per integrum sphæræ spatium, sed ea, tantùm certam eius partem obtinet.*

CONCLVSIO II.

Cœlum vt Intelligentiæ instrumentum, influit in Sublunaria.

COROLLARIA.

1. *Præter motum & lucem, per quæ influxus imprimitur, dantur occultæ Vires in Cœlis.*
2. *Lumen Cœleste, agens in Sublunaria, non agit cum repassione.*
3. *Influxus qualitatum Cœlestium, adeò necessarius est, vt eo cessante, operatio Sublunarium, & Esse, interire cogatur.*
4. *Influxus talium qualitatum, in alia directè agens, in voluntatem humanam agit indirectè.*
5. *Alij Cœli per motum, Empyreum per quietem influit.*

CONCLVSIO III.

Cœlo competit Naturæ Definitio.

COROLLARIA.

1. *Frustra à nonnullis dicitur Intelligentia Cœli natura.*
2. *Natura Principium Motûs & Quietis, intelligi potest, vt est in Empyreo quietis, in alijs, motûs principium.*
3. *Natura, Secundum Naturam, &, Habere Naturam, differunt in Cœlis.*
4. *Naturalitas Cœli, consistit præcipuè & primariò, in principio motûs Actiuo, Secundariò verò in principio motûs Passiuo.*
5. *Natura Cœli, vt est Principium motûs, omnes alias motuum considerationes excludit, solo excepto circulari.*

CONCLVSIO IV.

Cœlum constat Materiâ & Formâ.

COROLLARIA.

1. *Forma in Cœlis non tam sumitur pro parte Compositi, quàm pro Essentia.*
2. *Forma Cœli, nequaquam est aliqua anima.*
3. *Forma Cœli, est distincta à Formis Elementorum.*

4. Forma

4. *Forma Substantialis, in omnibus orbibus, non est vna.*
5. *Cœlum participans de quibusdam conditionibus Materia & Forma, nullam includit compositionem realem.*

CONCLVSIO V.

Materia Cœli, à Materia Sublunarium differt.

COROLLARIA.

1. *Cœli Motus localis, Alteratio illuminationis, ab Alteratione & motu Sublunarium differt.*
2. *In materiam Cœli, non potest induci aliqua dispositio, ad contrarias qualitates.*
3. *Possibilitas corruptibilitatis in Cœlis, tantùm est intrinseca, non extrinseca.*
4. *Cœli Materia nihil participat de grauitate aut leuitate.*
5. *Raritas & Densitas, de Cœlesti, & de Sublunari Materie, Analogicè tantùm dicitur.*



Ps. 18. Cœli enarrant gloriam Dei. Omnium Facultatum & Artium nomine,

EX ACADEMICA SCEPTRORVM CRVCE CORONATA.

Gloria summa Dei tùm fit; Sapientia Docti
Cum superat patiens, ad Diadema viam.
Hæc via sunt Musæ: proin à Iagelone profectæ,
Symbola vincentis, tum patientis habent.
Ex quibus, ad Cœlos contendens gloria, cœlis
Narrari tantùm, Syderibusq; potest.

COELVM EMPYREVM, THEOLOGIÆ nomine, Gloriam Dei, ex Academico Stemmate, enarrat.

Cum Christi Sceptro, Sceptrum quoq; vita Mariæ,
Crux fuit vna, Polis vna corona modò.
Theologos superat, ferri Crucis huius amore;
Hanc Sapiens, Superos iam capit atq; Deum.
Hanc discens, vt ames, Rex & Regina precando,
Diuinum Musis Stemma dedêre suis.

PRIMVM MOBILE, Authoritatem IVRIDICAM canens.

Iustitiam nexu, Sceptris Prudentia iungit,
Motibus vt tollant monstra nociua suis.
Possit vt illarum, referens post bella coronam,
Victrix, in recto tramite stare bilanx.

COELVM

COELVM CRISTALLINVM, MEDICÆ FACVLTATIS vim insignem deprædicat.

In patiente Salus Crux, & Spes magna coronæ.
Cor quoq; Crystallo purius ipsa facit.
Hoc virtus candore micat, Sapientia mundum
Illustrando; poli robore cuncta beat.

FIRMAMENTVM, PHILOSOPHIÆ Præstantiam agnoscit.

Sceptrigeram meditare Crucem. Meditatio mortis
Est ea: Stelligeris estq; corona Sophis.

SPHÆRA SATVRNI, ASTROLOGIÆ decus enarrat.

Sydereas monstrant Doctis hæc Sceptra coronas,
Sydera quot Cœlo, tot patienda simul.

IVPITER Gloriæ Dei mensuram GEOMETRICAM assignat.

Ad superos Crux ista solet pertingere; Normam
Pro Iuvenum Studijs, dans Diadema poli.

MARS ARITMETICIS triumphat Spolijs.

Multa priùs numerat virtutum prælia Doctor,
Victor ouans tandem, Regia dona capit.

SOL concentum sonat MVSICVM.

Lux Oculis, auriq; sonus, benè parta Corona,
Harmoniâ releuans, quæ dolor antè tulit.

AVRORÆ SPHÆRA, fulgore suo Arma RHETORICA monstrat.

Hinc Stygis atror abi! Nam Crux est Ensis & vmbo,
Regia dona, notant cordis & oris opes.

MERCVRII Sphæra, DIALECTICO Dilemmate, ad gloriam Dei prouocat.

Stat diadema, Crucis Subnixum Cornibus. Ergò
Aut patiare Cruces, aut Diadema fuge.

ORBIS LVNÆ Mutabilis, de variabilibus literis & vocibus GRAMMATICÆ, prouenientem Gloriam Dei, ex discentium multis curis, in Academico Stemmate vouet; Carmine Proteus dicto, quod millies vicies mutatum, sensum non mutat nisi Scansionem.

Tot Palmas necto tibi, quot sunt carmina vocum;
Cûi prosunt Tyro tot curæ, quot lumina Lunæ.

Deo Trino & Vni Opt: Max: Beatiss: Virgini Deiparæ Mariæ, Sanctis Omnibus, præcipuè D. Ioanni Cantio, cæterisq; Regni nostri & Academiæ Patronis, Laus, Honor, Virtus, & GLORIA.

~~Artowski Raph. Casim.~~

~~Quaestio physica de coelo.~~